

V  
g  
23





AK. 47.

DISSERTATIO

Vg  
23

68  
**SERENISSIMORUM  
SAXONIÆ DUCUM,**

QUI HACTENUS VERÆ RELIGIONIS STATORES O. M.  
POST DEUM

FUERUNT,

**PIETATE,**

*qua*  
**ILLUSTRISSIMOS COMITES  
R U T H E N O S  
JUNIORES,**

COMITES AC DOMINOS A PLAVIA, DOMINOS IN GREIZA,  
CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET LO-

BENSTEINIO, &c.

DOMINOS GRATIOSISSIMOS,

*PRÆTEREA*

*PLURIMUM VENERANDOS*

**DNN. INSPECTORES,**

OMNEIS ITEM VIROS ERUDITISSIMOS AC  
HONORATISSIMOS,

**M. JO. FRIDERICUS** *Röber/*

Illustris Ruthenéi RECTOR,

*ad clementer ac benevolè auscultandum*

*ADOLESCENTIS GENEROSI,*

**CAROLI AUGUSTI, NOBILIORIS à Planib/**  
ORATIONEM

*De*  
*Celsissimorum*

**Saxoniae Principum**


**FORTITUDINE,**

VALEDICTORIAM,

*H. L. Q. C.*

CRAS, CUM DEO HABENDAM,  
*humillimè, submissè, officiosè perquam & peramantè*  
INVITAT.

GERÆ, Literis WERTHERIANIS.





# X omni virtu-

tum , quæ exornare & commendare hominem possunt aut solent, numero, major nulla, nulla nobilior meritò censetur esse , quam (encomiasta Arbitro, in fragmentis,) maxima rerum,

& meritò Pietas homini tutissima virtus.

Hæc quippe Princeps & Regina virtutum, præ cæteris eminet perindè, ut inter pulcherrimos illos, qui in cœlo conspiciuntur, ignes candidissimum Luciferi sidus vel maximè coruscat. Quod in navi gubernator est, Dux in exercitu, anima in corpore; id in virtutibus pietas cluet. Quæ nisi regat a ducat, & animet veluti cæteras, errare has, labi, jacere omnes necesse est. Gratos hæc DEO reddit, Angelis jucundos facit, & acceptos maximè reddit hominibus, qui à DEO non alieni sunt; quin, quiequid verè boni nomine venire potest, cum in hac fragili & caduca, tum & in perennatura ac coelesti vita, certò pollicetur. Quæ si Principi curæ cordique est; quid in eo boni non effecturam putemus? Hic enim quantò propius à summi Numinis majestate, quam participat, abest; tanto luculentius se conspiciendam illa præbet, tanto efficacius trahit omnium animos, & ad imitandum invitat. Præterea ab hac spes felicitatis publicæ universa pendet, nec prosperè quicquam sive domi, sive foris geritur, ubi negligitur DEUS, & cultura pietatis insuper habetur. Quare Principes, qui vera excellunt pietate & Religione sincera prius nihil aut antiquius habent, jure meritissimo celebrandi, summisque laudibus ad cœlum efferendi sunt. Inter quos cùm non immò, sed primò, omnium bonorum consensu, loco numerandi sint SERENISSIMI ELECTORES ac DUCES SAXONES, Principes omnino magni, & immortalitatem meriti; Ideò nihil à nostra in Illos pietate alienum facturi videmur, si, quam jure quidem suo Pietatis laudem sibi vendicant, eam breviter perstringamus. Præstat quippe vel paucis verbis, vel religioso etiam silentio venerari, quam prolixâ Ora-

tio-

tione, quos dignè ac sufficienter prædicare non licet. Nihil verò nunc dicam de precibus, quas fudere PISSIMI SAXONES pro sua pariter & publica omnium salute. Nec commemorabo, quas supplicationes instituerint subinde, ubi vel mitiganda Numinis ira, vel benignitati illius gratiae fuerunt agendæ. Nec afferam in medium alia, in quibus Pietatem suam quisque exercuerunt. De iis duntaxat expositurus sum, quæ tanquam singularia ac præcipua Pietatis documenta PLERIQUE OMNES per hoc & superius seculum dedere. Est verbum DEI ditissimum illud gazophylacium, omnibus commune piis, omnibus apertum ac patens; unde Principes etiam cum Rege, DEO acceptissimo, in dubiis consilia depromant, in adversis sollatia petant, in omnibus viam bene vivendi ac beatè inveniant. Itaq; non solum in universum omnes ILLI PRINCIPES verbo divino pie delectati semper sunt, illudque & audiverunt attentâ aure prædicatum, & legere in Sacrosanctis Bibliis sedulò consevere. Certè de JOHANNE CONSTANTE illud memoria dignum est, quod non solum de verbo DEI serio professus sit, tam necessarium hoc esse ad animam sustentandam, quam cibum & potum ad nutriendum corpus; Sed & ipse sermones sacros, qui pro concione habebantur, calamo excepterit, ut ne, quæ audiverat, animo elaberentur. Et de CHRISTIANO II. quem sui PIUM COR non sine causa nuncupabant, relatum legimus, quod aperto capite, complicatis manibus & stans singulari reverentiâ auscultaverit, qui ad populum verba de suggestu faciebant. Ad lectionem verò cœlestium Oraculorum quod est, de eodem, quem modò laudavi, JOHANNE CONSTANTE commemoratur, quod senis quotidie horis Scripturæ verba ab Anagnostis nobilibus prælegi sibi jussérunt, ut, eis quandoque nec opinatò diutina lectione sopitus, evigilans tamen, dictum egregium, quod vel semisomnishauserat, reitterare potuerit. Quem æmulatus ELECTOR AUGUSTUS verè augustus nunquam non Bibliis accurate & ordine legendis distentus & occupatus fuit, adeò, ut, imminente ultimo vitæ suæ tempore, intra triginta admodùm dies literas facras non sine singulari animæ delectatione regustarit, & in his tandem acquieverit. O beatam mortem, quæ in tam sancto obitur labore! O & illustre Lectoris sacri exemplum! Et an lectum non putemus sacrum Bibliorum codicem ab ERNESTO,

STO, cui summo jure PII cognomentum hæsit? Nemo certè tam  
amens fuerit, qui, quæ impensis Ipsius & auspiciis prodierit ERNESTI-  
NA, immortale opus, à PISSIMO DUCE, semel atq[ue] iterū, sæ-  
piusque evoluta & perlecta, infitas ire præsumat. Ad pietatem cùm  
plantandam egregie, tūm & propagandam feliciter, ecquid magis con-  
fert ac facit, quam si Scholæ juxta & Academiæ erigantur, &, prout par-  
est, largissimè dotentur? Sunt enim virtutum illæ, sapientiæ ac pietatis  
præcipuè probitatisque doctissimæ magistræ, aut, quod verius est, be-  
nignissimæ Matres. Ubi, nisi maturè ac fideliter imbuantur ingenia;  
quomodo sibi Ecclesia, quomodo publica res, aut cujusque privata  
consistere satis ac florere potest? Omnia longè lateque pessum eunt,  
ubi verus veri Numinis cultus & pietatis sinceræ cura friget aut cessat.  
Quocirca æternam merentur nominis gloriam SERENISSIMI DU-  
CES, qui, ut pietatis res sibi constaret ubique, post FRIDERICUM I.  
cognomento BELLICOSUM, à quo Lipsiensis Academia A. M  
CCCCIX. condita fuit laudatissimè, & Wittebergensis & Jenensis fun-  
damenta jecerunt. Ex quibus illa FRIDERICO III. sive SAPIEN-  
TI A. M. D. II. hæc verò JOH. FRIDERICO II. & JOHANNI WIL-  
HELMO, JOHANNIS FRIDERICI, qui jam ante, ex odio Sphingis  
Augustanæ, Academiam condere decreverat, FILIIS, gloriofissimæ  
memoriæ Principibus, A. M. D. LIX. cœpta, natales & originem de-  
bent. Quæ monumenta omni ære perenniora, regaliqe pyrami-  
dum situ altiora longè, quin & tanta sunt, ut nulli subactarum genti-  
um triumphi, nullæ prostratorum exercituum laureæ, non gloriae  
dicam ac nominis, sed plus emolumenti ac utilitatis possint afferre.  
Quid majus enim præstantiusque in rebus humanis, quam rectè sa-  
pere, DEUMque, ut par est, nosse, &, ut decet, ex verbi divini præscri-  
pto, venerari: Hoc verò omne in officinis studiorum ac pietatis,  
quas vulgo Academias vocant, egregiè docetur. Et quid de MAL-  
RITIO, nullâ unquam ætate silendo Principe, & propter exempla  
maxima, quæ in bello pariter ac pace dedit, nunquam sine summis  
laudibus commemorando, dicam? Hic sanè pro suo in Pietatem a-  
more, non solum Academias, jam ante constitutas, firmavit, exorna-  
vit, magnificisque Privilegiis instruxit, sed & Ludos tres Provinciales,  
Misnensem ad Albim, Portensem ad Salam, Grimmianum ad Mul-  
dam

OP2

s. A

dam aperuit, & bonis literis ac pietati præcipue dedicavit, cō  
quidem cum successu, ut exinde, veluti ex equis Trojanis, in-  
gens eorum numerus hodiernum prodeat, qui vera veri DEI  
cognitione imbuti, cum in Ecclesia, tūm & in pub. ac re fa-  
miliari commoda & plurima & amplissima undique locorum  
diffundant uberimè ac præstent. Et hi sancè ut fontes omni-  
um bonorum sunt, quò nomine prisiorum quidam literas  
adpellat; Ita & pietatis culturam in omnes hominum status  
largissimè derivant. Ut adeò, qui hodie Academias illas &  
Scholas has pluresque alias munificè manu sustentant PRIN-  
CIPES SERENISSIMI, & pietatis, quæ in his inculcatur, pro-  
vehant & promoteant cultum, & quām sincero in DEUM  
amore flagrent, in apertum omnibus sistant, ac cœlo, cum su-  
dum est, clariùs faciant. Negotium piorum Principum est,  
nihil non operæ, studiique & laboris impendere, ut orthodoxa  
sibi constet & conservetur Religio. Nihil enim præstantius,  
excellentius nihil, nihil divinius in rebus humanis religione est.  
Hæc sola veram mansuramque, si ad normam verbi divini  
congruat, felicitatem promittit. Pii igitur fuerunt verè, me-  
moriamque sui quam maximè longam effecerunt non pauci  
ex ELECTORUM SAXONUM censu. Exoricbatur sub FRI-  
DERICO ELECTORE, quem Sapientem vocant, lux sapien-  
tiæ divinæ, quam divina Megalandri virtus, non sine singulari  
DEI providentia, tetra cispulsâ abactâque nocte,

--- --- exortus ut æthereus Sol,  
produxit iterum, & in omnium conspectum manifestè posuit.  
Restingvi hanc voluere tenebriones per SAPIENTISSIONUM  
HEROA: qui verò pro suo in veritatem cœlestem amore sin-  
cero idfacere nec voluit nec debuit, atq; idcircò, occultatum ad  
tempus, Lutherum sævitiae hostium subduxit, & in officio sacro;  
quo fungebatur jam ante in almâ Leucorea, pergere deinceps  
strenue jussit. Quo in Deum ejusq; verbum animo fuerit, suote-  
statum ivit Symbolo, quo æque, ac Lutherus, professus est, Ver-  
bum Domini manere in æternum. Ab hoc ne latum quidem  
ungvem recessit Frater, JOHANNES, CONSTANS veritatis

B

pro.

promachus; quippe qui non tam Lutheri quam Delipsius causam acturus, in Comitiis Imperii publicis, Confessionem exhibuit ac didit Augustanam, eò quidem successu, per Dei gratiam, ut pressa hactenus veritas emicaret tandem atq; emerget, universæ Europæ, quin & toti terrarum orbi conspicienda. Et quid illud? Annon veram SERENISSIMI JOHANNIS GEORGII I. pietatem sapit, quod misit per totum Electoratum, qui ritus omnes ac ceremonias Ecclesiarum inspicerent, &c, si quid forte abiret à regula, quā Beatissimus AVLIS AUGUSTUS præscriperat, animadverterent? Neque verò infrequentes Theologorum conventus egit, certosque conscribi libros præcepit, quibus assereretur coelestis veritas, cavillationes verò & strophæ Sophistarum refellerentur. Ex quibus eminent Commentarius, solida Orthodoxiæ notitiâ refertus, qui Pupillam veræ Religionis acerrimè defendit. Evidem veritas se per seipsum tuctur plerumque; fieri tamen non raro solet, ut, si armis oppugnetur, illi & armis (si non alia via, per crudelitatem hostium licet) succurrendum sit, non quod ferro definiantur controversiæ Religionis, sed quia quiescere non sinunt, qui veritatem hostili impetu adoriuntur. Ita JOHANNES FRIDERICUS, Elector, & cum hoc alii Principes atque Urbes, cum animadverterent, veram periclitari Religionem, nisi vis repelleretur vi, & assereretur armis, quod verbō rectius divinō propugnatur, non poterant non, in hoc necessariæ defensionis casu, vel inviti ad bellum se parare. Atque idcirco data atque acceptâ fide, societatem Smalcaldiæ confirmabant, nec adversus Cæsarem, nec ullum Imperii Statum, sed conservandæ veritatis ac pacis ergo, & propulsandæ, si quæ in justè inferretur, violentiæ causa: cuius foederis ut testator esset memoria, publicè id Principes confessi sunt. Sed fraude & perfidia suorum, ut prohibent, infeliciter pugnans Elector, propè Mühlbergam, in manus hostium venit, inque captivitate per quinquennium detenus, aliquando etiam, tanquam perduellis, capit is damnatus, tam non potuit à veritatis confessione absterrei & averti, ut potius adversis hisce, velut grandi onere pressus, tanquam palma, sur-

surgeret animosior; unde nec libro Interimistico, quem vocant, ut subscriberet, adigi ac persvaderi potuit. Tandem suæ libertati redditus iterum, ac remissus ad suos, omnium, quas perpessus erat, injuriarum oblitus, veritatem constanter ad mortem usque professus est, tanquam electus Martyr Jesu Christi, (quod elogium in Epitaphio ejus Vinariæ extat) ut Dux afflictorum, Princeps confessorum fidei, Comes veritatis, Signifer sanctæ crucis, Antesignanus patientiæ & constantiæ, Heres vitæ æternæ. Et qua fini MAURITIUS, verissimum illud bellorum fulmen, expeditionem in Cæsarem suscepit? Videlicet non modò ut liberali causa assereret manu Landgrafum Philippum, Socerum, & Johannem Fridericum Agnatum, sed & qui primarius ipsi scopus erat præfixus, ut per transactionem, quam vocant, Passavensem, pacem Religionis, & liberum puræ doctrinæ exercitium impetraret Protestantibus ex voto, & auspicatò, gratiâ divina, stabiliret. Neque verò ulla erit tām surda posteritas, tām ingrata fama, quæ non in cœlum TE debitum ferat laudibus, JOHANNES GEORGII I. quod tām strenuè acriterque Religionem, nec feliciter minus, adminiculante ope divina, asseruisti. Tu per DEum stabiliisti Ecclesiæ cymbam, contra tempestates furentes, sacrâ velut anchorâ, & præcavisti, quod inter tot procellas fluctusque imminebat, naufragium. Ut adeò seculis omnibus non injuria audias Magnus Stator orthodoxiæ, felix Conservator Religionis, pietatis Defensor maximè invictus. Tandem Pietatis Heroicæ luculentum & illud indicium est, quod ex SERENISSIMIS SAXONIBUS unus & item alter nec opulentissimas Provincias, nec maximas dignitates ac splendida honorum culmina magni æstimarunt, quando cum jacturâ Religionis veræ conjunctæ videbantur. HEINRICUS Dux Pietate & animi magnitudine, opes maximas, à Fratre GEORGIO, sibi oblatas, in parvis ipse constitutus, ne veritatem proderet, calcavit planè ac sprevit generosè, quas tamen, benignitate fati, in præmium pietatis suæ, impetravit tandem & assecutus est. Et JOHANNES FRIDERICUS, cuius jam non unâ vice mentio injecta est, et si vitam ac dignitatem Electoralem retinere posset, si repudiū veritati mitteret, hanc tamen amisit lubens, illam verò retinuit, Deo sic disponente, fortis & intrepidus,

19 30 R

Duris ut ilex tonsa bipennibus  
Nigræ feraci frondis in Algido,  
Per damna, per cædes, ab ipso  
Dicit opes animumque ferro.  
Sed desinamus plurim, cùm, quò plura dixerimus de HERO<sup>A</sup>  
**CA SAXONUM LAUDATISSIMORUM PIETATE**, eò plu-  
ra dicenda restent. Neq; enim dum diximus de singulis, & sunt  
præterea non pauci, qui commemorari possent, nisi properan-  
dum ad finem foret. Igitur, quod restat, id unicè precamur, ut  
Virtus hæc divina sit **POTENTISSLIMÆ DOMUI SAXONI-**  
**CÆ** propria semper, ac perpetua, quoad hæc universi moles in-  
concupsa stabit, perseveret! Ethæc præfari placuit, quoniam cras,  
DEO feliciter annuente, sub ipsam pomeridianam II. GENERO-  
SUS ADOLESCENS, CAROLUS AUGUSTUS, NOBILIOR  
à PLEU<sup>N</sup>TEZ/ EQ. VAR. de fortitudine CELSISSIMORUM  
SAXONIÆ DUCUM, quâ cùm Religionem, tūm & Regionem  
nunquam non summa cum laude tuiti sunt, Orationem, & eam  
quidem Valedictoriam, habiturus est. Musis ILLE litavit nostris  
per triennium cum semestri, cā industriae ac sedulitatis laude, quâ  
pollent, qui serio studiis obsequuntur suis. Pietatem sic in deliciis  
habuit, ut ne vultu quidem aut verbo eam violaret. Præterea ut inter  
nobiles fuit modestissimus; ita inter modestos nobilissimus. Præ-  
ceptorum Idem amans, nec in sudore eorum ac labores ingratius.  
Mensa & convictu usus est VIRI PER QUAM REVERENDI,  
AMPLISSI<sup>M</sup>MI atq; PRÆCECELLENTISSIMI DN. M. HEINRI-  
CI SCHERFII, Ecclesiæ nostræ Archidiaconi vigilantissimi, Con-  
fessorii Ruthenici Adfessoris & Gymnasii Inspectoris gravissimi,  
qui epulas ipsi suas variis discursibus, quod Vir doctissimus solet,  
sæpiissimè condidit. Unde non potuit non studiis sublimioribus,  
quibus in Academiis potissimum locus est, successu felicissimo  
præparari. Certe, EUNDEM in non vulgare GENERIS SUI  
NOBILISSIMI Decus, si perrexerit cum pietate, non desiderem  
Studiorum culturam maritare, evasurum aliquando, non vanè  
auguramur. De cætero ut ultimâ apud nos peroratus vice CLE-  
MENTER & BENEVOLE ac FREQUENTER in Auditorio  
majori audiatur, humillimè juxta & submissè, officiosèq; ac per-  
amanter rogitalmus. P. P. Geræ, III. Kal. Maji, A.O.R.  $\infty$  I<sup>c</sup>XCI.

ULB Halle

004 965 582

3





i Virtu-

nare & com-  
m possunt aut  
nulla, nulla nobis-  
e, quam (enco-  
mentis,)  
rum,  
lma virtus.

ris eminet perinde,  
ur, ignes candidissi-  
d in navi gubernat-  
tibus pietas cluet.  
rare has, labi, jace-  
elis jucundos facit,  
O non alieni sunt;  
im in hac fragili &  
pollicetur. Quæ  
effecturam pute-  
is majestate, quam  
milla præbet, tantò  
invitat. Præterea  
rosperè quicquam  
cultura pietatis in-  
pietate & Religio-  
nitissimo celebrandi,  
inter quos cùm non  
co numerandi sint  
ONES, Principes o-  
hil à nostra in Illos  
quidem suo Pietatis  
Præstat quippe vel  
quàm prolixà Ora-  
tio-



Hæc quippe Princeps  
ut inter pulcherrima-  
num Luciferi fidus-  
tor est, Dux in exercitu  
Quæ nisi regat accu-  
omnes necesse est.  
& acceptos maximus  
quin, quicquid verè  
caduca, tūm & in pe-  
si Principi curæ corde-  
mus? Hic enim qui  
participat, abest; tā  
efficacius trahit omnes  
ab hac spes felicitatis  
sive domi, sive foris  
super habetur. Quæ  
ne sincera prius nihil  
summisque laudibū  
imò, sed primò, on  
SERENISSIMI EL  
mninò magni, & i  
pietate alienum fa-  
laudem sibi vendica  
paucis verbis, vel re-

